

Emendationes Quintilianeae.

Prooemii § 3 Quintilianus de materia librorum suorum locutus plus quam imponeretur oneris se suscepisse dicit. *Nam ceteri fere, qui artem orandi litteris tradiderunt, ita sunt exorsi, quasi perfectis omni alio genere doctrinae summam in eloquentia manum imponerent.* Sic libri, manifesta corruptela. Spaldingii *inde eloquentiae* quid sibi velit, non assequor. Nihil autem in Halmii scriptura displicet, qui *in uncis* inclusit (neque enim opus est Burmanni coniectura, qui praeterea *imponeret* scribi iussit); sin illud vocabulum emendandum potius duxeris quam tollendum, non inepte tibi videbor in eius locum substituere *iam*, ut haec sit sententia: als ob sie an die Ausbildung der in jedem andern Fach vollkommen bewanderten jungen Leute durch den Unterricht in der Beredsamkeit nunmehr die letzte Hand legten.

Initio primi capitis iniuria plerosque queri dicit, quod paucissimis hominibus vis percipiendi quae tradantur concessa sit, et hunc locum eis verbis absolvit, quae § 3 legimus: *nemo reperitur, qui sit studio nihil consecutus. hoc qui perviderit, protinus ut erit parens factus, acrem quam maxime curam spei futuri oratoris impendat.* Displicet coniunctivus ille qui est *impendat*. Nam sicuti nemo periclitanti amico eidemque imminentis periculi gnaro suadet, ut aliquo modo se eripiat, ita eum qui in cura potius quam in natura spem futuri positam esse neque quemquam reperiri intellexit, qui esset studio nihil consecutus, exhortari inutile est, ut simulatque parens factus sit, omne studium omnemque operam ad colenda ingenia liberorum suorum conferat. An est quisquam, qui liberos in levioribus subsistere, quam ad summa evehi malit et ob hanc causam exhortatione illa egeat? Qua non eis potissimum, qui quantum valeat cura sciunt, opus est, sed omnibus quibuscumque pueri educandi sunt. Itaque rectissime Quintilianus haec vel similia scripsisset: 'Quamobrem protinus ut quis erit parens factus, acrem quam maxime curam spei futuri oratoris impendat'. Ut nunc res

est, non dubito, quin haec scripserit: *hoc qui perviderit — impendet*. Ac ne qua remaneat dubitatio, non coniunctivo, sed futuro tempore similibus locis usus est Quintilianus: X, 2, 27 *haec si perviderimus, tum vere imitabimur*. I, 2, 16 *nec sane quisquam — cum in quo studium ingeniumque perspexerit, non in suam quoque gloriam peculiariter fovebit*. XII, 2, 4 *ne dicendi quidem satis peritum fore, qui non — perspexerit et — formarit*. I, 4, 23 *atqui si quis dixerit satis — non erit contentus*.

I, 20 de prima puerorum institutione haec legimus: *lusus hic sit, et rogetur et laudetur et numquam non fecisse se gaudeat*. De sententia nemo dubitat; at offendit *fecisse* tam nude illud quidem positum, ut ad efficiendam integram sententiam id potissimum quod summum est, mente ac cogitatione assumendum sit. Dicitur enim id agendum esse, ut puer numquam non, i. e. quovis tempore gaudeat ea se fecisse quae probum discipulum deceant. Quae notio simplici illo infinitivo significari vix potuit; ne sic quidem, ut particula *non* cum infinitivo illo qui est *fecisse* coniuncta haec expetatur magis quam oriatur sententia: und niemals freue er sich nichts gethan zu haben. Dissimilis autem est locus ab Halmio comparatus qui legitur I, 3, 4 *qui parva facile faciunt*, quo non desideratur obiectum. At id ipsum pro nobis pugnat, quod et Halmius huic voci explicatione opus esse et vetus aliquis coniector eandem emendandam esse existimavit; veteres enim editiones praebent *scisse*, parum illud quidem, ut videtur, latinum. Quanto autem distet locus Ciceronianus a Meyero laudatus, qui est de fin. 5, 18: *et aliquid scire se gaudeant*, nemo non videt. Nam neque obiectum deest, neque, quod summum est, infinitivus perfecti, sed praesentis hoc loco legitur. Ipse *profecisse* scribendum propono, qua scriptura eis quae prodita sunt, una additur littera et sententia integra restituitur: und immer freue er sich Fortschritte gemacht zu haben.

Paullo post eos refutat, qui in scholis mores corrumpi clamant et sub finem secundi capitis § 16: *sed ut fugiendae sint*, inquit, *magnae scholae —, non tamen hoc eo valet, ut fugiendae sint omnino scholae. aliud est enim vitare eas, aliud eligere*. Verissimum istud quidem, sed tam verum, ut non possit ferri. Quid enim rectius diversum esse dicitur, quam vitare aliquam rem et eligere? Nec tamen dubia est sententia, quae, ut totum statim effundam, hanc mihi videtur emendationem postulare: *aliud est autem non vitare eas, aliud eligere*: und es ist etwas anderes, sie nicht zu vermeiden, als sie geflissentlich aufzusuchen. Praeferendam

esse dicit minorem scholam maiori, si ad utramque aditus pateat; sin minus, non evitandam magnam scholam ob id ipsum, quod magna sit. *Enim*, quod ratione caret (novum enim affertur), mutavi in *autem*, quae particulae in libris manu scriptis plus semel permutantur. Negationem addidi, qua adeo opus esse mihi videtur, ut hunc locum eis opponam, qui negationem per coniecturam inserere umquam licere negant.

Initio capitis tertii puerum vere ingeniosum etiam probum fore dicit. Deinde secuntur § 2 haec: *probus autem ab illo segni et iacente plurimum aberit; hic meus, quae tradentur, non difficulter accipiet, quaedam etiam interrogabit, sequetur tamen magis quam praecurret*. Quae si legeris, videbitur tibi Quintilianus alium dicere *probum*, alium *hunc meum*. Ea est enim sententiae structura, ut opposita inter se sint verba *probus* et *hic meus*. Nec tamen difficile est ad demonstrandum, ex vera scriptoris sententia idem utroque loco discipulorum genus intelligendum esse, eorum nimirum, qui et probi sunt et ingeniosi. *Probus* enim non ob id ipsum quod probus est, dici potest *ab illo segni et iacente plurimum abesse*, sed quod ingeniosus; nam sunt, in quibus boni mores, ut ipsius scriptoris verbis utar, cum tardo ingenio coniuncti sint; idem autem discipulus probus simul et ingeniosus verbis *hic meus* significatur, quae non possunt non referri ad ea quae paullo ante legimus: *nam probus quoque in primis* e. q. s. Quam ob rem cum de uno eodemque discipulorum genere sermo sit, verba *hic meus* sic videntur esse transponenda: *probus autem hic meus ab illo segni et iacente plurimum aberit, quae tradentur non difficulter accipiet* e. q. s.; h. e. is, in quo non ingenium solum, sed etiam mores laudandos esse paullo ante diximus. Postremo ne hoc quidem praetermittendum est, egregie iam inter se opponi pronomina *hic* et *illo*.

4, 7 affirmat grammatici esse videre, desintne linguae latinae necessariae aliquae litterae, velut in *servus* et *vulgus* aeolicum digamma desideretur. Dein secuntur, de quibus permultum disputatum est, haec: *et medius est quidam u et i litterae sonus, non enim sic optimum dicimus ut opimum, et in here neque e plane neque i auditur*. Ita Bernensis et Bambergensis, cum in Ambrosiano scriptum sit: *optimum dicimus ut (aut m. 2) optimum*. His verbis dubium non est quin significetur: deesse linguae latinae notam eius soni, qui medius inter u et i in terminatione — *imus* compareat, nec minus desiderari eius soni notam, qui medius inter e et i in *here* agnoscat. Qui enim ante Caesarem fuerint, eos

ipse Quintilianus testatur I, 7, 21 *optimum maximum* similia scripsisse eodemque loco in veterum se comicorum libris *heri* invenisse dicit. Itaque Quintiliani temporibus omnes et *optimum* per i litteram et *here* per e scribebant; enuntiabant autem nec *optimum* nec *optimum*, nec *here* nec *heri*, sed medium quendam in utroque vocabulo sonum. Iam vero primum mihi ex re esse visum est quaerere, utrum verbis *et medius est quidam u et i litterae sonus* et quod de voce *optimus* et quod de voce *heri* dicturus est, complectatur an illis verbis unius vocabuli *optimus* similibusque sonum significasse putandus sit, i. e. utrum sic vertendum sit: und u und i haben einen gewissen mittleren Laut (nimirum u litterae sonus medius est inter u et i in *optimus* et similibus, et i litterae inter e et i in *heri*) an ita: und es giebt einen gewissen zwischen u und i in der Mitte schwebenden Laut (nimirum ut in *optimus* et similibus). Quarum explicationum quam posteriorem posui sequor. Nam si prior vera esset, in eis quae secuntur, scriptum esse oporteret: *et in heri neque e plane neque i auditur*, quod falsum esset; nam Quintiliani temporibus non *heri* scribebatur, sed *here*. Ac ne quis *medius inter u et i litteram* potius dicendum fuisse putet quam: *medius u et i litterae*, conferatur I, 7, 20: *s littera media vocabulum*, i. e. s littera media inter duas vocales.

His praemissis iam quaerendum est, quomodo eorum quae secuntur scripturam constituamus. Quod Ambrosianus praebet, non potest intellegi; at ne ceterorum quidem scriptura pro vera habenda. Nam quod in *optimus* i littera aliter sonat atque in *opimus*, id diversae huius litterae mensurae imputandum est. Hanc offensionem amovit Hauptius proponens Hermetis t. IV a. 1870 p. 35: *non enim sic optimum dicimus ut ocimum*. At quicumque notissima quaeque exempla optima esse concesserit, is obscurum illud *ocimum* spernet. Quod si re vera hoc loco scriptum erat vocabulum aliquod, quod esset et sono ambituque ei quod est *optimus* simile et genuinam haberet i litteram brevem, multa conici possunt, Hauptiano illo probabiliora, velut *obitum* vel *opicum*, vel, quod omnium maxime arridet, *oppidum*. Patet autem, ut mox videbimus, etiam alia emendandi via. Quae Buechelerus scribi iussit: *non enim sic optimum dicimus vel optimum* vehementer displicent; omni enim praesidio caret *sic* particula, ut taceam de *non* et *vel*, quas velles mutari in *nec-nec*. Ritschelii denique coniectura: *non enim sic optimum dicimus ut aut optimum aut optimum*, cum rationi sufficiat, hanc tamen habet molestiam, quod prius illud *optimum* per medium inter u et i litteram sonum, posterius per ge-

nuinam i litteram enuntiari oportet. Mihi Quintilianus non videtur potuisse enucleatius id quod dicere voluit significare, quam ita ut scriberet: *non enim sic optimum dicimus ut scribimus*, collatis I, 7, 28 *quae scribuntur aliter quam enuntiantur* coll. 30. I, 7, 13 *sicut scribebant, etiam loquebantur*. 12, 10, 57 *huiusmodi casus efficient, ut aliquando dicatur aliter quam scribitur, cum dicere, quomodo scribendum est, non licet*.

Cap. 4 inde a § 13 de eis mutationibus disputatur, *quae rectis quoque casibus aetate transierunt*, quae in totis vocabulis labentibus annis factae sunt. Permultorum enim vocabulorum latinorum alio tempore alium sonum aliamque scripturam fuisse. Taliū mutationum exemplum affertur § 16: *quid o atque u permūtata invicem? ut Hecoba et notrix, Culcides et Pulixena scriberentur*. Recentiorum editorum nemo dubitat, quin *notrix* illud corruptum sit. Primum enim nutricem umquam notricem dictam esse credi vix potest, quoniam nullum est latinum vocabulum, in quo o littera sive longa sive brevis in u longam aetate transierit, nullumque omnino, cuius u longa non usque ad incunabula latinitatis ascendat, si pauca ea exceperis, in quibus u littera antiquiores sunt o et v, velut *iōvs*, *dooco* et quae sunt similia. Deinde ex eis quae subsequuntur: *ac ne in graecis id tantum notetur* patet, eo de quo agimus loco nulla nisi graeca vocabula fuisse scripta. Itaque *notrix* ferri non posse certum est, nec minus certum, eius loco a Quintiliano scriptum esse graecum aliquod nomen proprium, quod cum in latinam linguam translatum esset, o litteram aliquando in u mutaverit. Flagitante enim concinnitate sermonis, ut positus utrimque binis exemplis quae eiusdem generis sint, et o in u et u in o transiisse demonstretur, et corruptam illam vocem ita in exilium mittere, ut in eius locum nihil substituatur, et appellativum potius quam nomen proprium graecum restituere vetamur. Postremo hoc quoque veri simillimum est, eo quoque loco quo nunc scriptum est *notrix*, positum fuisse exemplum quam maxime notum; ea enim vocabula, quae in omnium ore sunt, in rebus grammaticis optima sunt exempla. Quae omnia si aut vera aut probabilia me scripsisse concedis, non multum abest ut contendam unum tantum esse nomen proprium graecum, quo Quintilianum hoc loco usum esse verisimile sit; idque nomen est *Hercolis* a Sarpio inventum, quod o littera scriptum Quintilianus in sexcentis antiquiorum temporum monumentis legerat. Idque huius mutationis tam illustre exemplum est, ut Hecobam nominasse et Hercolem silentio praeteriisse credi non possit. Quod mihi adeo persuasi, ut quamvis

obloquatur librorum dissimillima scriptura, Quintilianum re vera haec scripsisse suspicer: *ut Hecoba et Hercoles, Culcides et Pulixena scriberentur.*

Pauca etiam de eis quae subsequuntur, dicenda esse video. Quamquam de difficillimo hoc loco certa pronuntiare non audeo, tamen haud levis quaedam offensio silentio praeteriri non debet. In libris autem haec scripta sunt: *ac ne in graecis id tantum notetur, dederunt et probaverunt.* Editores omnes tacita plerumque mutatione scripserunt *dederont et probaveront*; nec aliter novissimus editor. His enim verbis Quintilianum graecis permutatarum o atque u litterarum exemplis latina aggregare putant. Quae exempla quamvis apta sint, tamen re vera sic scribendum esse affirmare non ausim, neque enim, si *dederont et probaveront* eiusdem mutationis latina exempla allaturus erat, recte dicta sunt quae antecedunt: *ac ne in graecis id tantum notetur.* Debebat potius: *ac ne id in graecis tantum notetur.* Utro igitur loco mutandum erit? Cui quaestioni antequam respondeamus, videamus quid sequatur: *sic Ὀδυσσεύς, quem Ἰλυσσεῖα fecerant Aeolis, ad Ulixen deductus est.* Sicine? minime vero: nam ut infra de e et i, sic hoc loco de o et u permutatis sermo est. At Ulixis nomen latinum natum est per variam eiusdem graecae vocalis, quae est Y, mutationem. Quae cum ita sint, nihil ratiocinationi eius opponi posse videtur, qui verba *ne in graecis id tantum notetur* sana esse ratus verba *dederunt et probaverunt* manca esse putat et ita quidem, ut per supplementum ea efficiatur sententia, qua ipsa illa in graecis vocabulis facta litterarum permutatio afferatur, cuius exemplum est nomen Ulixis; nisi quod satis amplo supplemento opus est, velut hoc: *ac ne in graecis id tantum notetur, in locum Y litterae u dederunt, set et i probaverunt.* Sic Ὀδυσσεύς, quem Ἰλυσσεῖα fecerant Aeolis, ad Ulixen deductus est. (coll. § 15: *sed b quoque in locum aliarum dedimus aliquando.*) Quo fit, ut rem in medio relinquere tutum videatur.

5, 47, ubi soloecismi vitium per varias partes orationis persequitur, haec legimus: *in participio per genus et casum ut in vocabulo, per tempora ut in verbo, per numerum ut in utroque peccatur.* Scribendum est: *per tempora et genera ut in verbo*; nam cum participio non solum tempora, sed etiam genera, i. e. activum, passivum, neutrum, deponens, cum verbo communia sint, per utraque tam in participio quam in verbo peccatur. Nec exempla positurus scriptor, sed omnia soloecismi in participio facti genera enarraturus est. Genera autem verbi eadem dicit quae nos, id

quod patet ex I, 5, 41: *ideoque in eo* (sc. in verbo) *fiunt soloeismi per genera, tempora, personas, modos.* I, 4, 27: *sed in verbis quoque quis est adeo imperitus, ut ignoret genera et qualitates et personas et numeros?* Accedit effecta coniectura mea iucunda quaedam dicendi concinnitas. Nam verba *per genus et casum ut in vocabulo* oppono his: *per tempora et genera ut in verbo*, ita ut binae potius positae sint utrimque notiones, quam ex altera parte duae, ex altera una.

Cap. 5 disputatur de peregrinis latinae linguae vocabulis, graecis maxime, quae veteres grammatici ita usurpari voluerint, ut ex latina ratione nihil mutaretur. *Inde*, inquit § 62, *Olympo et tyranno acutam syllabam mediam dederunt, quia duabus longis sequentibus primam brevem acui noster sermo non patitur.* Huius sententiae quae sunt ultima verba olim non sine causa offensionis fuere. Nam ut diiudicemus, quae ex eis sententia aut possit aut debeat elici, primum hoc apparet, causam afferri, cur Romani non *Olympus et tyrannus*, ut graeci, sed *Olympus* et *tyrannus* pronuntient. Quae causa in duplicem modum potuit proferri: aut ita ut ad eam acuendi legem provocaretur, qua omnia eiusdem generis vocabula latina reguntur, aut ita ut in his ipsis vocabulis, quae sunt *Olympus* et *tyrannus*, primam acuere ex latini sermonis ratione licere negaretur. At neutrum eis expressum est, quae in libris prodita sunt. Primum enim fac his verbis universalem illam acuendi legem significari, ex qua in vocabulis trisyllabis, media longa, primam acuere non licet. Huius legis in eis de quibus loquimur verbis pars tantum inest; manca autem lex, quae veros fines suos non amplectitur, nulla est. Nam duabus longis sequentibus primam brevem non acui ut vere, ita parum dictum est; neque enim solum duabus longis, sed etiam longa et brevi sequentibus non acuitur prima brevis; nec solum non brevis prima, sed ne longa quidem prima. Itaque si universalem illam regulam hoc loco afferre voluit Quintilianus, potuit eam his verbis vel similibus comprehendere: 'quia duabus longis aut longa et brevi sequentibus primam acui noster sermo non patitur'. Nec fugit difficultas plerosque editores, quorum tamen nemo eo progressus est, ut graviore medicina huic loco opus esse pro certo pronuntiaret. In Lipsii enim emendatione, quae haec est: 'quia una aut duabus longis sequentibus primam brevem acui' e. q. s. id gravissime reprehendo, quod vocem *brevem* non sustulit. Alii, id quod alterum posui, non legem universalem afferri, sed de solis illis vocabulis, quae sunt *Olympus* et *tyrannus*, sermonem esse rati sunt. In quorum nu-

mero fuit G. Hermannus, qui apud Meyerum hanc emendationem protulit, probatam illam quidem Halmio: 'quia primam brevem acui noster sermo non patitur'. At in hac quoque scriptura *brevem* delendum est, quoniam nihil interest, sitne prima illorum vocabulorum brevis an longa, id quod etiam Spaldingius perspexit. Itaque Quintilianus scripsit aut: *quia duabus longis aut longa et brevi sequentibus primam acui* e. q. s., aut: *quia primam acui noster sermo non patitur*.

6, 14 *u et s litteris finita* potius quam *us litteris finita* et paullo post *e et s litteris finita* scribendum esse horum locorum similitudine evincitur: I, 5, 60 *quod o et n litteris finiretur* (velut graece Πλάτων); 61 *ne in a quidem atque s litteras exire* (velut graece Πέλλιας); I, 6, 7 *quae e et o litteris fatendi modo terminantur* (velut *prandeo*); I, 7, 18 *ae syllabam — per a et i efferebant* (velut *pictai*); 26 *nostri praeceptores seruum ceruumque u et o litteris scripserunt*. — Verae huius scripturae vestigium superstes est in Bernensi, in quo legitur *· u · s ·*

6, 26 de defectivis quibusdam et substantivis et verbis haec dicit: *nam quid 'progenies' genetivo singulari, quid plurali 'spes' faciet? Quomodo autem 'quire' et 'ruere' vel in praeterita patiendi modo vel in participia transibunt?* At et participia eius verbi, quod est *ruere*, usitatissima omnibus temporibus fuerunt, *ruens* et *ruiturus*, et forma praeteriti passivi dicebantur *ruta caesa* quae in fundo effossa et caesa erant; ut taceam de *obrutus* et similibus. Dubitationem auget praestantissimus liber Ambrosianus, in quo ne scriptum quidem est *ruere*, sed *urgere*. Idem praebet secunda manus libri Bambergensis, cuius vix minor auctoritas est. Itaque et sententia mutationem postulat et codicum discrepantia commendat. Qua autem mutatione opus esset, non diu dubitavi. Confido enim Quintilianum haec scripsisse: *quomodo autem quire et nequire in praeterita patiendi modo vel in participia transibunt?* Nam quid potuit illi verbo, quod est *quire*, aptius adiungi quam *nequire*?

Cap. 7 de varia scriptura disseritur, quam homines docti eis vocabulis adhibeant, quae, cum duas habeant notiones, pariter pronuntientur et § 4, de malo et palo vel palude locutus: *similiter*, inquit, *putaverunt illa quoque servanda discrimina, ut 'ex' praepositionem, si verbum sequeretur 'specto', adiecta secundae syllabae s littera, si 'pecto', remota scriberemus. Illa quoque servata est a multis differentia, ut 'ad', cum esset praepositio, d litteram, cum autem coniunctio, t acciperet; itemque 'cum', si tempus significaret, per qu et m, si comitem, per c ac duas sequentis scriberetur*. Sic

Halmius. Omnium primum delenda sunt haec: *illa quoque servata est a multis differentia*, quae non modo abundant, sed etiam repugnant plurali illi *illa quoque servanda discrimina*, ad quorum verborum similitudinem interpolatorem sua adiecisse manifestum est. Deleverim etiam quae praecedunt: *secundae syllabae*; nam ex praepositio non potest adiecta secundae syllabae s littera scribi, quoniam non habet secundam syllabam. Nisi hoc loco a severa cogitandi ratione paululum deerravit scriptor. Quae sunt ultima huius enuntiati verba, ea et tam varie prodita sunt in codicibus et tantas dubitationes movent, ut pro certo nihil contendam; hoc tamen dico: simplicitatis laude dignissimum futurum fuisse Quintilianum, si haec scripsisset: *itemque 'cum', si tempus significaret, per q, si comitem, per c scriberetur*.

7, 17 de graecorum i adscripto haec dicuntur: *sicut in graecis accidit adiectione i litterae, quam non solum dativis casibus in parte ultima ascribunt, sed quibusdam etiam interponunt, ut in AHICTHI, quia etymologia ex divisione in tris syllabas facta desideret eam litteram*. In archetypo AHICTH fuisse libri nostri demonstrant; Halmius malle se AHICTHC confitetur: bene, nam dativo nullus hic locus. Mihi praeterea offensioni est in praepositio, cum praecedat dativus *quibusdam*, pendens ille quidem ex eodem verbo, quod est *interponunt*. Haec sermonis discrepantia mihi tanta esse videtur, ut hanc mutationem proponam: *sed quibusdam etiam interponunt, ut illi AHICTHC*, comparatis I, 6, 26 *quod verbis etiam accidit, ut illi 'fero', et I, 7, 27: tantum ut ab illo 'qui' distingueretur*.

7, 20: *quid quod Ciceronis temporibus paulumque infra fere quotiens s littera media vocalium longarum vel subiecta longis esset, geminabatur? ut 'caussae, cassus, divissiones', quomodo et ipsum et Vergilium scripsisse manus eorum docent*. In his verba: *fere quotiens s littera media vocalium longarum vel subiecta longis esset non possunt non corrupta esse*. Quibus dicitur s littera Ciceronis aetate geminata esse ubicumque vel medium inter duas longas vocales locum obtineat vel post longam vocalem collocata sit (nam pro eo quod est *longis*, etiam *longae* scribi potuisse nemo negabit). At de una, non de duabus s litterae collocationibus hoc loco dicendum erat, quo fit ut earum, quae in codicibus commemorantur, neutra recte significetur. Primum enim nihil interest, utrum earum vocalium, inter quas s illud Ciceronis aetate geminatum medium locum obtinet, posterior longa sit an brevis (dum modo prior longa sit). Scribatur enim tam *cassus* et *divissiones* quam *caussae*, id

quod hic ipse locus testatur. Ac ne ea quidem quae secuntur, recte se habent: *vel subiecta longis esset*. His verbis parum dicitur; nam inter ea vocabula, in quibus s littera longam vocalem sequitur, multa sunt, in quibus s litteram non vocalis sive longa sive brevis, sed consonans sequatur. Nam nonne, si vera esset codicum scriptura, apertis verbis testaretur Quintilianus Ciceronis aetate scriptum esse *caesspitem, maesstum, fausstum, hausstum* similia, in quibus omnibus s littera subiecta longis est? At eiusmodi scriptura numquam extitit. Quamobrem cum Quintilianus, qui omnium diligentissime antiquioris latinitatis documenta perscrutatus est, in tam simplici re errasse credi non possit, librarium incuriae imputanda erunt, quae hoc loco non recte dicta esse demonstravimus. Ciceronis autem temporibus s littera geminabatur, ubicumque medium inter duas vocales locum obtineret, quarum prior longa esset; quam sententiam restituet qui scripserit: *fere quotiens s littera media vocalium et subiecta longae esset*. Sic demum illa lex suis finibus circumscripta est. *Et* haud facile, ut videtur, spreveris; pro *longis* malui *longae*, quamquam illud defendi posse concedo.

7, 22: *at veterum comicorum adhuc libris invenio: 'heri ad me venit'*. Scribendum est: *in veterum comicorum adhuc libris*, si quidem nullus apud Quintilianum locus extat, quo aliquid aliquo libro potius quam in aliquo libro inveniri dicatur.

Cap. 8 de poetarum lectione discipulis commendanda disserens haec dicit § 6: *elegea vero, utique quae amat, et hendecasyllabi — amoveantur*. Intellegitur elegia amatoria, quae quidem non potuit dici *elegea quae amat*. Non nego plerasque dicendi figuras, quibus scriptores latini utuntur, etiam Quintiliano in usu fuisse; at hic locus a communi translatarum quas dicimus locutionum natura tam procul recedit, ut librarios negligentiae accusare quam Quintilianum quod in libris est, scripsisse malim. Nec Spaldingius illam offensionem amovet, cum plane in universum dicit talem formam loquendi saepe animadverti, qua ipsis verbis et sermoni tribuatur quod significant, et comparari iubet quae leguntur I, 6, 23: *ideoque 'iecur' etiam et 'femur' controversiam fecerunt*. In annotatione denique huic loco adscripta morem Quintiliani esse dicit exemplis sat confirmatum personas imponendi ipsis rebus et vocabulis. Potuit addere 'litteris', coll. I, 4, 15: *nec non eadem (i. e. B littera) fecit ex duello bellum*. At primum nihil eo proficiamus, quod saepe apud hunc scriptorem ipsis verbis et sermoni id tribuimus, quod significant; nam idem de quolibet scriptore recte dicitur; sed sua cuique loco explicatio sit oportet. Deinde et eius

loci, quem Spaldingius adhibuit et eius quem ego addidi natura ea est, ut cum eo de quo agimus, comparari nequeant. Nam ne necesse quidem est figuram loquendi agnoscere, si quis vel vocabuli alicuius scripturam inter viros doctos controversiam fecisse vel B litteram ex duello bellum fecisse dicat. Quare eum in quo versamur locum corrigendum esse contendam, donec ad explicandam insolentem illam et vel insulsam, ut mihi quidem videtur, locutionem meliora ac certiora proferantur. Quod autem voluit, significare non potuit simplicius quam ita ut scriberet: *elegea vero, utique amatoria, et hendecasyllabi — amoveantur*, quae re vera eum scripsisse probabile est. Ac nonne librorum omnium corrupta scriptura, quae haec est: *utique qua amat*, quamvis levi gravioris corruptelae indicio est? Nam *qua* natum est, sequente a littera, ex dittographia extremae syllabae antecedentis vocis, et vocabuli *amatoria* ultimae litterae in archetypo extinctae postea perierunt.

10, 5, ubi de perfecto oratore omnium artium scientia ornato disseritur, haec leguntur: *nam et sapientem formantes eum, qui sit futurus consummatus undique — non modo cognitione caelestium vel mortalium putant instruendum e. q. s.* Corrigendum est: *caelestium et mortalium*; nam qui sit futurus consummatus undique, altera utra scientia contentus esse non potest.

Eodem modo musice et geometria, quamquam oratorem non faciunt, non debent tamen vero oratori deesse, quippe quae, ut sit consummatus, iuvent, *nisi forte ἀντιδότης quidem atque alia, quae oculis aut vulneribus medentur, ex multis atque interim contrariis quoque inter se effectibus componi videmus, quorum ex diversis fit una illa mixtura, quae nulli earum similis est, ex quibus constat.* Est argumentum ex comparatione petitum, ut, si quis omnium disciplinarum scientia consummatum fieri oratorem negaturus sit, ei hoc quoque negandum esse dicatur, ex rebus diversissimis fieri remedia. Quae cum ita sint, quis non videt scribendum esse: *nisi forte ne ἀντιδότης quidem e. q. s.?* Nam si *ne* illud omisisset scriptor, contra se ipsum hoc argumentum protulisset. Taceo enim de *quidem* particula, quae, nisi praecedat *ne*, a sententia praesidio caret. Nostra denique emendatione haec sententia in eandem formam redacta est, quam reperimus e. g. 10, 23: *nisi forte in carminibus tantum et in canticis exigitur structura quaedam et inoffensa copulatio vocum, in agendo supervacua est, aut non compositio et sonus in oratione quoque varie pro rerum modo adhibetur sicut in musice.* — *Oculis aut vulneribus* non audeo defendere nec habeo quod probabilius proponam quam quod Aldum se-

cutus Spaldingius coniecit: *morbis aut vulneribus*. Ne ea quidem quae secuntur, integra sunt. Remedia enim ex variis rebus potius vel, si hoc magis placet, herbis componuntur, quam ex effectibus. Nec *quorum ex diversis fit una illa mixtura* sana ratione explicari possunt. Quamquam celandum non est, in B *diversa*, non *diversis* scriptum esse. Ego autem utrique vitio facile mihi videor ita mēderi, ut *effectibus* illud, quod priore loco offensionis est, in posteriorem transferam, ubi aut eadem aut similis notio desideratur. Unde haec scriptura evadit: *ex multis atque interim contrariis quoque inter se componi videmus, quorum ex diversis effectibus fit una illa mixtura*. Nam Halmio, qui coniecit: *quorum ex diversa vi fit* e. q. s. *multorum effectuum diversam vim* eleganter dici vix concedo.

10, 10 haec de musices dignitate leguntur: *itaque et Timagenes auctor est, omnium in litteris studiorum antiquissimam musicen exitisse, et testimonio sunt clarissimi poetae, apud quos inter regalia convivia laudes heroum ac deorum ad citharam canebantur*. Severae rationi repugnat *canebantur*; nam ut antiqua aetate laudes heroum ac deorum ad citharam canebantur, ita apud claros illius aetatis poetas canuntur. Nec non Spaldingius intellexit. Quamobrem *canuntur* scribi iuberem, nisi multos fore suspicarer, qui in eo haerendum esse negarent, quod antiqua aetas et antiquae aetatis poetae mente et cogitatione inter se commutati essent.

10, 41 Quintilianus, ex geometria quibusdam commemoratis, quibus puer instruendus sit: *sed alia*, inquit, *forsitan obscuriora: nos facillimum etiam imperitis sequamur experimentum*. *iugeri mensuram* e. q. s. Suo iure novissimus editor in voce *alia* offendit, quae incertum est utrum eis opponantur, quae praecedunt an eis quae secuntur. Quodsi prius verum dixi, particula *sed* ratione caret; si posterius, offensionis est, quod voce *alia* non solum remotiora geometriae praecepta comprehenduntur, sed etiam quae modo de orbium, quadratorum, triangulorum ambitu dicta sunt. Proposuit Halmius: *set talia forsitan obscuriora*, haud ille quidem male. Me pronomen *nos* eis quae secuntur, cum gravitate aliqua appositum movit, ut Halmianae emendationi ipse hanc adderem: *sed alii forsitan obscuriora: nos facillimum* e. q. s., qua quid voluerim effici copiosius exponere opus non est.

Cap. 11 quid ex comoediis discendum sit futuro oratori, exponitur. Huc pertinent quae § 12 leguntur: *debet etiam docere comoedus, quomodo narrandum, qua sit auctoritate suadendum, qua concitatione consurgat ira, qui flexus deceant miserationem*. Quod ita optime faciet, si certos ex comoediis elegerit locos et ad hoc

maxime idoneos, id est actionibus similes. Quaeritur, quid sit subiectum verborum *faciet* et *elegerit*. Atque verba *quod ita optime faciet* cum referantur ad ea quae praecedunt: *debet etiam docere comoedus* et prorsus idem valeant atque haec: 'quae omnia ita optime docebit', non possunt non ita intelligi, ut de eodem illo comoedo dicta sint. Ad quem cum illud quod sequitur, *elegerit*, referri sententia vetet et de magistro potius dictum esse demonstrat, diversa apparet esse utriusque verbi subiecta, quod ne ipsum quidem ratio patitur. Quamobrem *elegeris* scribendum esse existimo, nisi quis forte *faciet* ad magistrum potius quam ad comoedum salva ratione grammatica referri posse demonstrat.

Cap. 12 Quintilianus causas exponit, cur sibi omnes disciplinae videantur eodem tempore pueris tradendae esse et § 6: *aut dicant*, inquit, *isti* (h. e. ei, qui hac docendi ratione pueriles annos onerari clamant), *mihi, quae sit alia ratio discendi? grammatico soli deserviamus? deinde geometrae tantum, omittamus interim quod didicimus? mox transeamus ad musicum, excidant priora?* h. e. num suum cuique disciplinae tempus attribuemus? Summa igitur vis inest in eis particulis, quibus temporum successus significatur, quales sunt *deinde* et *mox*. At primae trium illarum interrogationum deest particula temporalis. Qua de causa utinam olim scriptum fuisse in libris demonstrari posset: *primo grammatico soli deserviamus? deinde geometrae tantum* e. q. s.! Nam sic demum iusta integraque fieret sententia.

Deinde: *cur ipsi*, inquit § 7, *aliquid forensibus negotiis, aliquid desideris amicorum, aliquid rationibus domesticis, aliquid curae corporis, nonnihil voluptatibus cotidie damus? Quarum nos una res quaelibet nihil intermittentes fatigaret: adeo facilius est multa facere quam diu.* Quod in fine huius sententiae legitur: *diu*, sine dubio Quintiliano non debetur. Hec enim vocabulo perit et perspicuitas et concinnitas dicendi: illa, quod 'diu facere' nihil est nec integram notionem efficit, haec quoniam absurde opponitur *diu facere* illi quod praecedit, *multa facere*. De sententia dubitari non potest, quae haec est: adeo facilius est multa facere, quam aliquid agere tantum unum, vel: quam in labore uno perseverare, ut antea dixit, vel: quam idem continuare, ut potuit dicere. Concinnitas autem sermonis, cuius in tam brevi et arguta sententia summa vis est, postulare videtur, ut in locum inepti illius *diu* substituaturs adiectivum aliquod, quod recte opponatur praecedenti adiectivo, quod est *multa*. Qua cogitatione in hanc coniecturam incidi: *adeo facilius est multa facere quam multum*; neque enim

ea sententia quae desideratur, aliis verbis aut verius aut argutius significari potuit. Nec tam audax est mutatio mea, quam primo obtutu videtur esse; nam ex antecedentis vocis exitu ascita in littera, sät facile ex *diu* efficitur *ultü*. Simili autem oppositionis vinculo *multa* et *multum* conecti inter se volo, quo conectuntur *multa* et *multorum* X, 1, 59: *et multa magis quam multorum lectione formanda mens.*

X, 1, 37 datis saluberrimis quibusdam praeceptis de oratoribus, poetis, historicis, philosophis futuro oratori acerrimo studio legendis affirmat Quintilianus persequi singulos infiniti futurum operis. *quippe cum in Bruto M. Tullius tot milibus versuum de Romanis tantum oratoribus loquatur et tamen de omnibus aetatis suae, quibuscum vivebat, exceptis Caesare et Marcello, silentium egerit: quis erit modus, si et illos et qui postea fuerunt et graecos omnis et philosophos?* Verba quae sunt *quibuscum vivebat*, orta illa quidem ex editione Aldina (nam in libris est aut *quidqui conuiuiebat* aut *quid quisque conuiuiebat*) ne Halmius quidem melioribus mutavit, quamquam Quintiliani esse Aldo non concedit, id quod inde apparet, quod huic loco solito plures aliorum coniecturas apponit. Nec Spaldingius concedit, cum veram scripturam indagari posse desperet, ne Kruegerus quidem, qui vulgarem scripturam admodum dubiam esse confitetur (de Bonnelliana editione ampliore taceo, quam ne hoc quidem loco inspicere operae pretium esse intellexi). Nec iniuria: nam quae Aldus restituit, ea illis quae praecedunt: *de omnibus aetatis suae* nihil novi addunt. Fuerunt autem qui *quibuscum vivebat* idem esse dicerent ac *quibuscum consuetudinem contraxerat*, scilicet evitandae tautologiae causa. At huic explicationi, id quod recte monuit Kruegerus, repugnat ipse Cicero, cum dicit Brut. 65, 231 *in hoc sermone nostro statui neminem eorum, qui viverent, nominare*. Itaque non solum de eis, quibus usus sit, sed de omnibus aetatis suae silentium se acturum pronuntiat. Unde perspicuum est, desiderari usque ad hunc diem Aldinae scripturae emendationem, nisi forte simplicem ac probabilem rationem iniisse tibi videbitur Bursianus, qui verba *quibuscum vivebat*, quae per coniecturam inuenta sunt, ex glossemate nata esse existimat. Melius tamen Bursianus, quam ceteri omnes, sententiae consuluit, ad quam absolvendam eiectis his vocabulis nihil deerit. At ipsa codicum depravata scriptura etiam atque etiam monet, ut, quamvis tot viri docti in emendendo hoc loco frustra

laboraverint, quaeramus, quae potissimum sententia hoc loco si non necessaria, at certe prae ceteris apta sit et cum aliqua probabilitate ex eis quae in libris sunt, elici possit. Talis erit haec sententia: 'cum in Bruto M. Tullius — de omnibus aetatis suae, quorum permagna erat multitudo — silentium egerit', e. q. s. Quae quidem sententia sic poterit restitui: *et tamen de omnibus aetatis suae, qui quidem sescenti erant, exceptis Caesare et Mgrcello, silentium egerit* e. q. s. De sententia, qua vix ulla fuerit aptior, nihil addo; de litterarum mutatione recte me iudice hoc loco sentiet, qui aliquando etiam audacia opus esse meminerit.

Intra eiusdem enuntiatii fines duo alii loci emendandi sunt. Extrema enim verba haec sunt: *quis erit modus, si et illos et qui postea fuerunt, et Graecos omnis et philosophos?* Haec sana non esse primus vidit Fridericus Schmidt, qui, cum olim mecum sodalis fuerit societatis philologiae Lipsiensis, ecce denuo in hoc certamine studiorum gratam praebet disputandi materiam. Is verba quae sunt *et philosophos* emblema esse contendit, probante Halmio. At mihi non modo nihil delendum, sed haud pauca esse inserenda videntur. Dicturus enim est Quintilianus non solum de eis oratoribus, qui legendi sint adolescentibus, sed etiam de poetis, historicis, philosophis, quos quidem plurimum collaturos putat ad confirmanda iuvenum ingenia. Nam et praecepta illa, quae leguntur inde a § 20 usque ad § 37, cum ad oratores (20—27), tum ad poetas (27—31) et historicos (31—35) et philosophos (35—37) pertinent; et inde a § 46 persequitur Quintilianus singulos poetas (46—73. 85—101), historicos (73—76. 101—105) oratores (76—81. 105—123), philosophos (81—85. 123—131) et Graecos et Latinos. Itaque eo de quo agimus loco nihil certius est quam scribendum esse: *quis erit modus, si et illos et qui postea fuerunt et graecos omnis et poetas et historicos et philosophos?* Quae cum ita sint, etiam prioribus verbis, in quibus tamquam fundamento niti videtur Schmidtii coniectura, quae haec sunt: *M. Tullius — de Romanis tantum oratoribus — loquatur*, emendatione opus esse contendo. Quae si scripsisse credi posset Quintilianus, iure suo Schmidtium extrema enuntiatii verba ita mutasse concederem, ut ille non solum de Romanis, ut Ciceroni, sed etiam de graecis oratoribus dicendum sibi fore diceret. Ut nunc res est, confido scribendum esse: *de Romanis tantum et oratoribus loquatur*; i. e. neque de Graecis neque aut de poetis aut de historicis aut de philosophis. De hoc *et* particulae usu satis, si opus est, docebunt quae leguntur § 51: *verum hic omnis sine dubio et in omni genere eloquentiae procul a*

*se reliquit, et 94: multum et verae gloriae quameis uno libro Per-
sius meruit.*

Eandem particulam etiam eis quae legimus 2, 15, inserendam esse facile tibi persuaseris: *nam in magnis quoque auctoribus inci-
dunt aliqua vitiosa et a doctis inter ipsos etiam mutuo reprehensa.* Haec enim sana esse quis est qui contendat? Nam verba *inter ipsos etiam mutuo* nisi ad ipsos magnos illos auctores referenda essent, careret ratione *mutuo*. Neque vero eosdem Quintilianus potest intellexisse *doctos*, quos quidem constat esse existimatores, i. e. eos, quorum de arte aliqua omnium consensu verissimum est iudicium. Atque hanc etiam apud Quintilianum vim esse illius vocabuli, testabitur copia locorum a Bonnellio in lexico collatorum, unde si tres deprompsero, satis superque mihi fecisse videbor: *tum laudem quoque, nec doctorum modo, sed etiam vulgi consequetur* (12, 10, 72); *et in ceteris iudicium doctorum, in hoc vero etiam popularem laudem petit* (8, 3, 2); postremo ex eo, in quo versamur, libro: *Pacuvium videri doctiorem, qui esse docti affectant, volunt* (10, 1, 97). Itaque is de quo dicimus locus sic emendandus est: *et a doctis et inter ipsos etiam mutuo reprehensa*; i. e. non solum ab eis reprehensa, penes quos ob subtilitatem iudicii et varietatem eruditionis quasi quoddam arbitrium est discernendi, quae et a suae aetatis et a priorum temporum scriptoribus aut bene aut male dicta sint, sed etiam ab amicis scriptorum eisdemque ingenuarum artium studiosis, qui recitato opere vel domi perlecto quaedam sibi minus probari profiteri solent.

1, 61 Pindarus dicitur esse novem lyricorum longe princeps *spiritus magnificentia, sententiis, figuris, beatissima rerum verborumque copia et velut quodam eloquentiae flumine.* Pro *spiritus magnificentia* velim ex Argentoratensi codice reponi *spiritu, magnificentia*; non solum ut concinnior fiat oratio, reddita aequalitate singulis enuntiati membris, sed etiam quia *spiritus magnificentia* salva utriusque vocabuli vi ac significatione dici negaverim. Nam quid sit spiritus, satis apparet ex eis quae leguntur 1, 8, 5: *interim et sublimitate heroi carminis animus assurgat et ex magnitudine rerum spiritum ducat et optimis imbuatur.* Unde apparet hac voce significari animi quendam habitum, ex quo tamquam ex fonte manant ceterae virtutes oratoriae. Harum una est magnificentia, quam Graeci *μεγαλοπρέπειαν* vocant (4, 2, 61), quae cum in actione (11, 3, 153), et in sententiis (6, 1, 52), tum in verbis (3, 8, 61. 10, 1, 84) cernitur.

1, 65: *Antiqua comoedia — et grandis et elegans et vemusta,*

et nescio an ulla, post Homerum tamen, quem ut Achillen semper excipi par est, aut similior sit oratoribus aut ad oratores faciendos aptior. Hoc loco offensam habet pronomen *ulla*, quo quominus aliud significari putes quam *ullum poetarum genus*, sententia impedit. Nam qui *ulla comoedia* intelligendum esse contenderit, ei quae de Homero adduntur, fundamento carere fatendum erit. Tamen per grammaticam rationem vix ac ne vix quidem licebit ad recte interpretandam vocem *ulla* mente et intellectu supplere *poeseos pars* (nam nec *poetarum pars* nec *poematum pars* satis placet). Quare non est cur indigner, si quis scribendum proponat: *et nescio an ulla poeseos pars, post Homerum tamen — aut similior sit oratoribus aut e. q. s., nisi quod poesis vocabulum is in quo versamur scriptor consulto per omnes libros vitavit, et idem comparato alio loco potest re vera videri ea ipsa vocabula, quae diu dubitavi an invitis libris inserenda essent, legentium ingeniis supplenda reliquisse.* Legimus enim § 28: *meminerimus tamen, non per omnia poetas esse oratori sequendos, nec libertate verborum nec licentia figurarum: genus ostentationi comparatum et — patrocinio quoque aliquo iuvare, quod alligata ad certam pedum necessitatem non semper uti propriis possit, sed depulsa recta via necessario ad eloquendi quaedam deverticula confugiat.* Hoc loco legimus *genus ostentationi comparatum*; at tribus versibus post non *alligatum* aut *depulsum*, sed *alligata* et *depulsa*, quae Halmio causa erat, cur inter *genus* et *ostentationi* excidisse *poeseos* coniceret. Cuius coniecturae fides, quamvis defendatur ratione grammatica, alterius tamen loci, de quo supra disputavi, mira similitudine attenuatur. Quamquam rem admodum difficilem expediisse mihi non videor; hoc dico: utrumque locum pari modo aut emendandum esse aut interpretandum.

1, 70 laudato Menandro, qui diligenter lectus plurimum conferat ad augendam vim et copiam dicendi, addit Quintilianus, haud longe aberrare a vero eos, qui orationes, quae Charisii nomine edantur, a Menandro scriptas putent. Dein: *sed mihi longe, inquit, magis orator probari in opere suo* (i. e. in ipsis comoediis) *videtur, nisi forte aut illa mala iudicia, quae Epitrepontes, Epicleos, Locroe habent, aut meditationes in Psophodoe, Nomothete, Hypobolimaeo non omnibus oratoriis numeris sunt absolutae.* Ibi formula *nisi forte*, cui inest ironia, significat eos, qui Menandri comoedias aliqua ex parte inferiores existiment ceteris scriptoribus, qui adolescentium studio commendari soleant, in gravi errore versari omniumque doctorum consensui repugnare. Vocabulum *mala*

autem omnes editores praeunte Spaldingio monent alteri *iudicia* coniungendum non esse tamquam faciens unum subiectum, sed esse adiectivum prò attributo vel praedicato. Quam profecto coniungendi vocabula rationem nisi secutus eris, corruet sententia. Tamen vocem *mala*, quae media posita est inter *illa* et *iudicia*, praedicati vice fungi hoc loco aegre concesserim. Quod si voluisset Quintilianus, ne integros legentium animos errore implicaret ac verae interpretationi tenebras obduceret, debebat saltem aut: *aut mala illa iudicia*, aut: *aut illa iudicia, quae-habent, mala*. Iam vero sequitur alterum praedicatum: *non omnibus oratoriis numeris sunt absolutae*, quod facile concedes dignum esse quod cum utroque subiecto (*iudicia-meditationes*) coniungatur, sublato altero illo praedicato exili et arido, quod est *mala*. Ergo scribendum est: *nisi forte aut illa iudicia — aut meditationes — non omnibus oratoriis numeris sunt absolutae*. Veri vestigium nescio an servaverit idem ille codex Argentoratensis, in quo non *aut illa mala iudicia* scriptum est, sed *aut alia iudicia*.

1, 72 de ceteris novae comoediae auctoribus haec addit: *habent tamen alii quoque comici, si cum venia leguntur, quaedam, quae possis decerpere*. Haec usque ad Spaldingii tempora nemini offensioni fuere. Is autem fatetur, quid sit *legere cum venia*, se ignorare. Cuinam enim dari hanc veniam? legenti an scriptori legendo? Posterius probari Gessnero, quippe qui in Thesaurο Lat. hoc dici contendat: ‘excusando, si quid minus probabile occurrat’. At Spaldingius: ‘qui indulget’, inquit, ‘vitiosis, is sane multa poterit probare; sed verendum erit, ne plura quam opus sit’. Rectissime illud quidem vir doctissimus. Neque enim credi potest Quintilianus adeo caecus fuisse, ut adolescentibus ipsa optimorum scriptorum lectione informandis et erudiendis liberum permiserit arbitrium dignoscendi ea quae aut bene aut male dicta sunt, utque non perspexerit fore ut eis, quibus ingenia sua studiorum assiduitate corroboranda essent, aut optima aut pessima quaeque venia egere viderentur. Tu autem quid iudicabis, si quis hodie existat praeceptor, qui quem librum discipulis legendum tradiderit, eum cum venia legendum esse profiteatur? ‘An (sic enim pergīt Spaldingius) accipiemus *veniam* legendi talia a praeceptore discenti concessam? At hoc plane ieiunum; neque enim plus inveniet boni qui volente magistro leget quam qui nolente’. Quod quidem tam vere dictum est, ut non habeam quod addam. Dein: ‘longe’, inquit, ‘aptius erat, si *cum delectu* dixisset vel *cum cautione* vel, ut § 116, *cum iudicio*. An forte hoc inerit, si reposueris *cum verecundia*?’

Minime vero. Nam verecundia, quae opposita est fiduciae (4, 1, 19) tardatur animus (1, 3, 4) et reducitur ab eis quae faciendae sunt (12, 5, 3), unde intellegitur, qui librum legere instituerit cum verecundia, eum non modo non vere quid aut bene aut male dictum sit, diiudicaturum, sed nihil plane pro certo affirmare ausurum. Atque haec causa est, cur alia emendatione opus esse existimem. Ac primo quidem obtutu si comparaveris illa quae leguntur § 116: *multa, si cum iudicio legatur, dabit imitatione digna Cassius Severus*, et § 40: *quin iudicium adhibentibus adlaturus sit utilitatis aliquid*, facile conicias, eo quoque de quo agimus loco, simile quid scriptum fuisse, id quod Spaldingius suspicatus est. Aliud tamen est multa habere imitatione digna, aliud multa dare vel afferre. Habet enim is quoque multa imitatione digna, qui nec cum venia nec cum iudicio, quin etiam qui a nullo umquam legitur. An putas Ciceronem nihil habiturum esse, quod possis tuum facere, si non legeretur? Inde elucet, non solum ea, de quibus Spaldingius dubitavit, absurda esse, sed totum illud enuntiatum, quod continetur verbis: *si cum venia leguntur*. Emendaturo locum mihi aderit eadem illa § 40: *paucos enim vel potius vix ullum ex his, qui vetustatem pertulerunt, existimo posse reperiri, quin iudicium adhibentibus adlaturus sit utilitatis aliquid*; collatis eis quae legimus § 58: *ut qui dixerim esse in omnibus utilitatis aliquid*. Similis sententia et aptissima illa quidem eo in quo versamur loco restituitur scribendo: *tamen habent alii quoque comici, sicut omnia, quae leguntur, quaedam, quae possis decerpere*. Quae autem, quod inserui, nemo non videt, quam facile potuerit intercidere ante *quaedam quae*.

1, 83 haec legimus de Aristotele: *quem dubito scientia rerum an scriptorum copia an eloquendi vi ac suavitate an inventionum acumine an varietate operum clariorem putem*. Ibi vi ac Halmius praeceunte Geelio in textu posuit; nam in libris est *usus*. Ego quamvis haec coniectura eis quae leguntur apud Dion. Hal. cens. 4; *τῆς τε περὶ τὴν ἐκμηρίαν δεινότητος . . . καὶ τοῦ ἡδέος* commendetur, tamen servandae concinnitatis gratia, qua singulae huius enuntiati partes inter se coniunctae sunt, lectionem vulgarem praefereendam et quattuor illas litteras delendas existimo, quae ex primis eius quod sequitur vocabuli litteris videntur natae esse. At iam velim quinque illarum huius enuntiati partium non formam, sed vim ac sententiam compares. Iure Quintilianus Aristotelem scientia rerum et scriptorum copia et varietate operum immortalem laudem sibi peperisse contendit; at nullo pacto potuit dubitare, utrum in hoc

philosopho scientia rerum an scriptorum copia an varietas operum pluris aestimanda esset; tamquam alia esset laus eius, qui scientia rerum et scriptorum copia excellit, alia eius, qui varietate operum praecipuus est. Quare aut haec scripsit: *quem dubito scientia rerum an scriptorum copia an eloquendi suavitate an inventionum acumine clariorem putem*; aut haec: *quem dubito, eloquendi suavitate an inventionum acumine an varietate operum clariorem putem*. Atque hanc, quam secundo loco posui, conformationem sententiae ideo praefero, quia unam illam laudem, quae scientia rerum et scriptorum copia et varietate operum continetur, eadem sententiae structura eisdemque verborum finibus circumscribi aequum est, ac ceterae laudes, quae in eloquendi suavitate et inventionum acumine positae sunt.

1, 101 et 102 inter se comparantur Livius et Sallustius, ille Herodoto, hic Thucydidi similior. Neque enim quemquam iucundiores esse in narrando aut eloquentiores in contionibus quam Livium: *ideoque immortalem illam Sallusti velocitatem diversis virtutibus consecutus est*. Hoc loco quae Sallusti dicitur fuisse velocitas, eam vulgo intelligunt breviter. Ac vero Thucydidem, quem imitandum sibi proposuit Sallustius, Quintilianus 10, 1, 73 densum dicit et brevem et semper instantem sibi. At eadem vel similis Thucydidis vel Sallusti virtus nunc recte dicatur velocitas, potest dubitari. Nam velocitati opponuntur tarditas et segnitia (9, 4, 83. coll. 10, 7, 8); brevitati copia ac fuscum dicendi genus. Concedamus tamen quamvis inviti Sallusti summam virtutem recte dici fuisse velocitatem. Hanc igitur dicitur Livius diversis virtutibus esse consecutus. Quorum verborum haec est vulgaris interpretatio, ut Quintilianus putetur voluisse dicere: Livium diversis virtutibus idem sive eandem laudem consecutum esse, quam Sallustius velocitate adeptus esset. Nec profecto dubium est, quin haec ipsa sit sententia; sed eadem ex codicum scriptura non potest erui, nisi artificio quodam, quo eius verbi, quod est consequi, vis et usus detorquetur et infringitur vera ac simplex interpretandi ratio. Nam sicut § 82 (coll. 10, 1, 25. 109) nulla dicitur affectatio consequi posse iucunditatem Xenophontis, ita eo de quo agimus loco Livius Sallusti velocitatem consecutus esse salva ratione et analogia dici non potuit nisi ita, ut hac ipsa virtute Sallustium aequasse diceretur. Quae sententia cum spernenda sit, quaerendum erit, qua ratione labantem iam codicum fidem stabiliamus; sin id fieri non posse intellexerimus, quibus remediis opus sit ad genuinam scripturam restituendam. Omnis autem quaestio

versatur in verbo consequendi, cuius haec exempla ex eodem scriptore adhibita ad efficiendum id, quod nobis proposuimus, utilia erunt: *Achillis gloriam in rebus bellicis consequi*. (12, 11, 27) *consecuti immortalitatem* (3, 7, 9). *hac Cn. Lentulum plus opinionis consecutum quam eloquentia tradit* (11, 3, 8). Nihil vero aptius est ad illustrandam eam sententiam, quam eo in quo versamur loco requirimus, quam quae scripta sunt 10, 1, 73 de Herodoto et Thucydidi, quorum alteri Livius, alteri Sallustius similis est: *quorum diversa virtus laudem paene est parem consecuta*. Huius maxime loci praeclara similitudine fretus mihi persuasi, eo de quo dicimus loco eandem sententiam ita fere esse restituendam, ut Livius dicatur laudem vel gloriam Sallusti diversis virtutibus consecutus esse. Quam sententiam repono scribendo: *ideoque illam immortalem Sallusti auctoritatem* (i. e. klassisches Ansehen) *diversis virtutibus consecutus est*. Comparanda sunt 4, 2, 125: *auctoritas, quam mereri debemus* e. q. s. 12, 11, 3: *ex ea, quam meruerat auctoritate*. Eandem vel similem sententiam restituit Iacobus Schlänger scribendo *claritatem*, usus ille quidem Argenteratensis codicis scriptura, in quo legitur *civilitatem*.

Secuntur ceteri rerum Romanarum scriptores: Servilius Nonianus, Aufidius Bassus, et quem plerique hodie intellegunt Fabium Rusticum, de quo haec legimus § 104: *superest adhuc et ornat aetatis nostrae gloriam vir saeculorum memoria dignus, qui olim nominabitur, nunc intellegitur*. Verba saeculorum memoria dignus quid sibi velint, ne sit ulla dubitatio, adhibenda sunt quae leguntur 11, 1, 13 *ideoque perpetua saeculorum admiratione celebrantur*; 3, 7, 18: *ingeniorum monumenta, quae saeculis probarentur*; 10, 1, 80: *Demetrium Phalereum — memoria dignum, quod* e. q. s. — Itaque dignum dicit Fabium Rusticum vel quisquis alius intelligendus est, cuius memores sint posteri quemque legendum et imitandum sibi proponant etiam post longam saeculorum seriem. Ab huius praeclarae sententiae vi ac perspicuitate vide quam longe recedant quae secuntur: *qui olim nominabitur, nunc intellegitur*. Quis enim umquam quem posterorum memoria dignum praedicavit, eundem olim nominatum iri statim pronuntiat? Quasi non satis amplius sit honos aut non satis certum iudicium de eo, quem dignum esse professus sis, qui perpetua fama celebraretur. Exhaustum est omne Quintiliani de immortali Fabii Rustici laude iudicium eis verbis quae sunt *saeculorum memoria dignus*; neque enim per totum hunc locum hoc agit ille, ut quantam famam unus quisque scriptorum graecorum et latinorum assecutu-

rus, sed ut, quanta fama quamque acri studio dignus esse videatur, demonstret. Ne ea quidem quae secuntur: *nunc intellegitur* ad eam rem pertinent, de qua agitur. Etenim nihil refert, utrum intellegatur Fabius a suae aetatis hominibus necne, sed utrum dignus sit, qui intellegatur, necne. Quo fit, ut nihil effecerit Quintilianus pronuntiando ea quae in libris scripta sunt, quippe cui, quid iudicaret de Fabio hoc loco confitendum esset, sicut antea, quid de ceteris scriptoribus. Quae omnia si reputaveris, concedes, ad eam sententiam, quam hoc loco desideramus, propius accessuram hanc scripturam: *vir saeculorum memoria dignus et qui nunc intellegatur*. Nam verba *qui olim nominabitur* ob eam quoque causam suspecta sunt, quod possunt videri ex eis, quae legimus § 94: *sunt clari hodieque et qui olim nominabantur*, huc advecta esse. Ad illustrandam autem eam sententiam, quam non sine gravi proditae scripturae mutatione effecisse me confiteor, conferenda sunt quae de Socrate legimus 11, 1, 10: *maluit enim vir sapientissimus quod superesset ex vita sibi perire quam quod praeterisset. et quando ab hominibus sui temporis parum intellegatur, posterorum se iudiciis reservavit, brevi detrimento iam ultimae senectutis aevum saeculorum omnium consecutus*. Itaque Quintilianus cum permultos viros egregios eodem fato, quo Socrates perierat occubuisse videret, Fabium Rusticum non solum posterorum laude ornari, sed etiam ab hominibus suae aetatis intellegi voluit¹.

Scr. Berolini m. Febr. a. 1874. Georgius Andresen.

¹ Aliae quaedam emendationes libri X accedent in F. Ritschelii Actis soc. phil. Lips. vol. IV.